

regio, qui postremus Budæ indictus fuerat, statutum  
fuisse a reipublicæ fœdere discedi non oportere. In Carnis quidem hostes ad Utinum incursiones fecisse, vicosque tres apud oppidum incendisse, Patres certiores facti, Aloisio Mocenico legato Forojuliensibus a Senatu lecto, uti statim proficeretur, mandaverunt. Non dum erat Romæ Julius, cum novem numero Cardinales, quorum erat princeps Bernardinus Cardinalis sanctæ Crucis, homo Hispanus, literas ad illum Mediolano dederant, quibus literis eum certiore faciebant: quoniam ipse tot annos, ex quo summus Pontifex esset, contra majorum decreta generale concilium ad rem publicam christianam juvandam cogere distulisset, se communem causam obire agereque statuisse. itaque illum, ut Pisæ se ante diem cal. septembris concilio agendo siste-ret, monebant. Ne ve Julius eas literas inficiari posset se accepisse, quod nemo esset tam audax, qui ei se al-laturum ullo præmio polliceretur, in foribus templorum Parmæ atque Placentiæ, tum vero etiam Arimini eas præfigi curaverunt. quod quidem Julio permolestum sane fuit, præsertim cum illi eis in literis testarentur habere se consiliorum suorum adjutores Galliarum & Hispaniarum reges Ludovicum & Ferdinandum. tametsi spem aleret Julius, auctoritate potentiaæ suæ vel interminando vel hortando vel pollicendo, aliquos ex eo conventu in suam voluntatem se abstracturum, eamque conjunctionem divulsurum, ipso eorum principe homine ventosissimo parum prudentiaæ tantam ad rem, reliquorum nonnullis parum auctoritatis afferentibus: qua effecta re nihil ab aliis posse confici eorum, quæ speraverant, confidebat. Sed omnino post illud tempus plenior solito curarum & cogitationum Julius fuit. In Carnis cum hostes sat magno equitum & militum numero ex Goritianis finibus ad Cremonæ oppidum accessissent, ut illud, si possent, caperent, prædas autem abigerent, damnaque incolis & vastitatem inferrent: Joannes Viturius legatus obviam illis factus, prælium acriter magnoque animo iniit, ipse manu

Pisana  
Pseudosyno-dus indici-tur.

XI. kal. jul.  
Germani a  
Venetiis ad  
Cremonæ  
funduntur.